


6


101  
A  
560






40









2. D. B. V.

14.

14

DISSERTATIONEM INAUGURALEM  
MEDICO-CHIRURGICAM  
DE  
**CEREBRI COM-  
MOTIONE,**

Ex Indultu  
GRATIOSISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ  
IN ALMA LEUCOREA,  
SUB PRÆSIDIO

V I R I

NOBILISSIMI, AMPLISSIMI, EXCELLENTISSIMI  
AC EXPERIENTISSIMI

**DN. CHRISTIANI VATER,**  
Philos. & Med. D. nec non Pathologiæ P. P.  
longe celeberrimi, Phys. Provinc. & Collegii German.

Curios. Collegæ meritissimi,

*Dn. Patroni, Præceptoris, Hospitis & Promotoris  
sui atatem de venerandi,*

**PRO LICENTIA**

SVM MOS IN ARTE SALUTARI HONORES ET PRI-  
VILEGIA DOCTORALIA RITE CAPESSENDI,

*Ad D. III. AUGUST. A. M DC XCIX.*

Horis ante & post meridiem s̄vetis,

*Publico Philiatorum Examine exponet*

**JOH. CHRISTOPH. SCHULTZE,**

Budiss. Lusat.

VITEMBERGÆ, Prelo CHRISTIANI KREVSIGII, Acad. Typogr.



DISSERTATIONEN  
VON  
CERBERG  
MOTIV  
D. N. CHRISTIAN VATER,  
Bilior & Med. D. nec non  
D. N. CHRISTIAN VATER  
Bilior & Med. D. nec non  
D. N. CHRISTIAN VATER  
Bilior & Med. D. nec non  
D. N. CHRISTIAN VATER  
Bilior & Med. D. nec non







DISSERTATIO INAUGURALIS  
MEDICO - CHIRURGICA  
De  
CEREBRI COMMOTIONE.

---



Vandoquidem nullius Visceris in Corpore Humano functio, multo minus earundem functionum læsio, aut curatio, ignoratâ ejusdem fabricâ, intelligi potest, nemini amplius mirum videbitur, præsentiam ætate, ubi partium omnium solidarum æqvè ac fluidarum naturas & texturas admirandas propiùs ac clarius intueri datum est, earundem quoque actiones & læsiones longè aliter, ac veteribus visum, explicandas, consequenter etiam curam læsionum aliter ineundam nobis esse: Ita imprimis medullosa Cerebri substantia, Veteribus reverâ medullaris texturæ credita, longè jam aliam faciem exhibet, utpote ex meris fibrulis, seu tubulis tenuissimis quidem & mollissimis, tamen concavis, tanquam totidem vasculis & canaliculis excretoriis, variè sibi mutuo contextis & circum-

volutim complicatis conflata, mediantibus quibus succus ille spirituosus & aëreus è glandulis, vel plexibus cerebri corticalibus in fasciculos nerveos, ex iisdem fibrulis capillaribus contextos, quibuscunque motionibus & sensationibus ubi vis in corpore peragendis destinatus derivari possit. Sed quò tenerior & delicatior ea cerebri textura deprehenditur, eò quoque facilius & gravius, etiam à levioribus, sæpè vix ac ne vix sensibilibus causis, eandem depravari & destrui posse, patet; Eaque ratio est, quare tot tamque gravissimi non solum capitis, sed omnium omninò partium corporis morbi & symptomata à solius cerebri læsionibus fluant. In præsentem tantum *Commotionem, seu Concussionem* ejus, plerisque non solum plagis & vulneribus Capitis comitem ferè individuum, sed per se quoque, & absque ejusmodi vulneribus, summè periculosam & sæpissimè funestam, Exempli & Speciminis Inauguralis locò sistere placuit. Faxit Summum Numen, ut in ipsius gloriam & agrorum emolumentum vergat!

## Thes. I.

Commotio nimirum, quam hic respicimus, est ea Cerebri, mediante capite, seu Calvariâ, cui includitur, concussio & collisio, quâ tota ejus compages plus minus vibratur, agitur & commovetur, cum pororum & tubulorum ipsius compressione, contorsione, aut etiam horum, æquè ac vasorum reliquorum sangviferorum, ruptione, eaque ab ictu, lapsu, aliis-  
que

que injuriis extrinsecis inducta. Aliàs quidem naturalis & ordinarius Cerebro motus debetur, in systole & diastole consistens, isque à motu & impulsu sanguinis dependens, quatenus in arteriarum diastole connexæ & intertextæ Cerebri partes velut elevantur, & Cerebri diastolen quoque efficiunt; in systole vero extensæ fibræ iterum subsident, eoque ipso systolen Cerebro concedunt; prudentissimò certè consiliò, ut, quemadmodum in illò motu sanguis glandulas cerebri corticales accedit, & respondens illarum confirmationi succus purissimò, ac spirituosissimus trajicitur commodissimè, reliquò sanguine per venas suas reductò; ita subsidente cerebro, & collabentibus, aut constrictis fibris istis, succus ab iisdem receptus ulterius versus medullam cerebri oblongatam & nervos adigatur.

Thef. II.

Neque etiam quascunque alias Capitis, indeque Cerebri agitationes, commotiones, aut contusiones hinc adeò attendimus; Equidem tales etiam absque texturæ interioris Cerebri mutatione contingunt, sed eas tantum, tamque graves, quibus poruli, uti diximus, & canaliculi fibrosi Cerebri simul comprimuntur, distorquentur, aut planè lacerantur. Patuli debent esse hi canaliculi non solum, ut succis transcolatis transitum concedere possint, sed præterea, propter texturam aliàs mollissimam, & figuram procul dubio rotundam, tam arctè sibi incumbere nequeunt, quin inter se quoque extrinsecus relinquant & forment spatiola oblonga, quemadmodum inter tres cylindros, sibi mutuò impositos, per totum tractum triangulare semper spatium relinquitur: Quod si igitur Calvariæ duram & rigidam graviter collidi contingat, quam facilimè fieri potest, quod sub eadem conclusa, imò meningibus connexa compages hæc cerebri mollissima, laxa & tubularis simul vibretur & quassetur, ut stamina & latera tubulorum ex istò tremore subsideant, collabantur, aut etiam

A 3

distor-



distorqueantur, & propter summam teneritudinem planè lacerentur, quemadmodum id in omnibus spongiosis & laxioris texturæ corporibus totò die deprehendere licet.

Thef. III.

Ita leges Mechanicæ nos docent, quod omnia corpora dura non solum & rigida, sed etiam molliora, modò elastica, quæcunqve non ex meris partibus solidis, sibi undiqve exactè contiguis, sed potius staminibus lateralibus & angularibus conflata & contexta sunt, ictu graviore percussa non possint, quin quoad totam suam compagem stringantur & contremiscant: Utriusqve texturæ partes hic habentur, rigidioris & mollioris; Quando igitur tremor & concussio in osseâ istâ Cranii galeâ excitatur, necessariò fit, ut idem motus ad cerebrum, illi non tantum contiguum, sed uti jam monitum, per vasa & membranas continuum propagetur; Imo vibratam calvariam cerebro plane novum motu suo velociorem, lege percussio-  
num naturalium, imprimere, non immeritò monet *Celeberrimus Bohnius de Vulner. Lethal.* Quemadmodum alias corpora quævis elastica corporibus licet quiescentibus imposita, ad harum percussio-  
nem longè velocius, ac ea ipsa moveri, & in altum subsilire videmus, quantum scilicet spatium ambiens ipsis concedit.

Thef. IV.

Proptereà tamen non opus est, ut tota semper compages & textura Cerebri concutiatur & pervertatur, sed plus minus, prout percussio major, vel minor, aut spatium in ambitu amplius vel angustius fuerit. Tractus diversos fibræ medullares cerebri observant, unde fieri potest, quod ratione loci percussio-  
nis & ictus ipsius modò hi, modò alii fibrarum tramites commoveantur, distendantur & pervertantur; uti etiam ex sym-  
pto-

ptomatum serie & varietate mox afferenda patebit. Ita certè ictus rectilineos semper gravius præ obliquis commovere necesse est, ubi major semper vis in se perpendiculariter recurrens, & quasi duplicata præ illà, quæ obliquè deflectit. Imò calvariam in siccoribus & tenerioribus gravius semper, quam crassioribus & mollioribus, ab iisdem licet injuriis, commoveri credo, eò, quod illa minus cedere possit, indeque fortius vibrari, aut frangi eandem necesse sit. Atque hæc omninò inter alias ratio est, quare observante etiam *Hollerio in Aphor. Hippocr. senibus* magis, quam pueris & juvenibus funestæ commotiones observentur, quibus aliàs ex defectu succi balsamici sanguinis ejusmodi subsidencia & flaccescentia Cerebri naturalis est, & solennis.

## Thes. V.

Innotescunt hujusmodi læsiones diversæ totò die ex cadaverum, etiam ex solà commotione cerebri, absque vulneribus & fracturis demortuorum, inspectionibus, nec non ex Medicorum ac Chirurgorum observationibus ubivis obviis, quas huc afferre nihil attinet, unum vel alterum tantum exemplum hic notasse sufficiet. Sic præter exempla pluribus Sectionibus ab *Excell. Dn. Præside* in cadaveribus observata, *Bohnii quoque de Lethal. vulner. p. 234.* refert, quod in Vetula, quæ pariter ictu atque Lethargo, & sub auditus loquelæque amissione obierat, integumentis capitis, nec mollioribus nec durioribus, nisi inter cutem tantillum sanguinis extravasati, aliquid violentiæ perpeffæ signum viderit, cum tamen inter duram tenuemque meningem, inter cerebrum & cerebellum, ac sub basi utriusque multum cruoris, ex ramo sc. arteriæ carotidis sinistrae effusi apparuerit; *Et pag. 248.* in pueri septennis à baculo percussi, & post cephalalgias, vertigines, convulsiones aliæque symptomata perpeffa, demortui capite, nullū planè violentiæ externæ vestigiū,

intrinsecus verò concamerationem ventriculorum anteriorum limpidissimò serò refertam, hincque corporis callosi portionem, intra bina hemisphæria cerebri conspicuam, maximè distentam & attenuatam annotavit. In aliis ventriculi isti, modò singuli, modò distincti sanguine grumosò, vel fluidò repleti fuère, imò ipsa cerebri substantia, sive in dextrò, sive sinistrò latere, fissa & lacerata apparuit, de quibus exempla, si placet, legantur apud *Berengar. de Fractur. Cranii, Guil. Fabric. Hildan. in obs. Chirurg. Scultet. Armament. Chirurg. Harder. in Apiario, Sennert. l. 1. Prax. p. 1. Schenck. obs. l. 1. Bonett. in Sepulchret. & alios.* Quibus verò leviores læsiones contingunt, ex commotionibus quidem evadunt, plus minus tamen gravia symptomata patiuntur, è quibus etiam gradus & loca læsionum non obscure colligere licet.

#### Thef. VI.

Quicumque nimirum commotionem talem cerebri patiuntur, eos ingens capitis dolor, qui per occiput collo & universæ spinæ communicatur, invadit, qui etiam intento spiritu & adductis maxillis crescit. Cui mox succedunt vomitus biliosi, sensuumque omnium perturbationes, & si gravior ea fuerit, docente ipso *Hippocr. nostro Sect. 7. Aph. 58. 3. Coac. 370. § 1. de Morb. t. 3. nec non Galeno Comment. in Hipp. Sect. 7. Aph. 58.* sine sensu statim & motu concidunt, penitus obmutescunt, nec apertis quamvis oculis vident, neque audiunt, sed quasi resoluti & Apoplectici, & instar stipitum torvi procumbunt, aut huc illucque moventur. Quibus omnibus adhuc sequentibus diebus, pro majori minori que læsione interiorum, & accedente, ex impedito ibidem sanguinis motu, inflammatione, exulceratione, vel suppuratione accedunt febris acutissima & intensissima, deliria, convulsiones, aliaque mala gravissima, in serie causarum mox explicanda.

#### Thef. VII.

## Thes. VII.

Ipsa quidem commotio semper & solum ab injuriis externis, lapsu nimirum, aut allisione alia violentiore, & similibus dependet, quatenus à subitanè & gravissimà ejusmodi quassatione tota calvaria, & in eà cerebrum adeò concutiuntur, & motu tremorificò agitantur, ut fibrae, imprimis cerebri plus justò distendantur, distorqveantur aut lacerentur, & remittente licet istò motu, tamen fractò robore, & tonò suò collabescant, subsideant, flaccescant, nec muniis suis peragendis amplius aptæ existant.

## Thes. VIII.

Non tamen opus est, ut ejusmodi vibrationes & collisiones capitis à rebus solidis & duris semper inducantur, quin etiam sola collisio aeris, & sonus gravis à fulmine, aut tormentis bellicis factus sufficere potest. Ita memoratu dignum est, quod *Thom. Barthol. cent. 3. obs. anatom.* refert de Juvene vigintiannorum, qui ab exploso sclopeto, velut fulmine ictus, corruit, domumque sensu & motu privatus delatus, ita decubuit, donec exacto quinque dierum spatio motus aliqua redière indicia, ægerque os pro medicamentis, alimentisque assumendis aperire, subinde se erigere, fari, cæterasque functiones obire paulatim cœpit. Ejusmodi exemplum refert *Hildan. C. III. obs. VI.* de vicino suo, cui, cum Hildenæ in lustratione quadam militum humi jaceret, ac obdormivisset, accidit, ut quidam ex sociis jocandi, ipsumque expergefaciendi gratiâ, ad aurem ejus sclopetum exploderet, ex quo ita percussus fuit, ut propter ingentem cerebri commotionem sese ex uno latere in aliud, quasi temulentus, volveret, cum maximis angustiis & doloribus cibos, aliaque evomeret &c. Cujusmodi plures commo-

B

tio-

tiones ex ictu tormentorum leguntur apud *Schenck. l. 1. Obs. Borell. l. IV. Obs. III. Fabr. Hildan. Chirurg. C. III. Obs. 26. Zacch. Quest. Med. Legal. p. 186. Ephemerid. German. Decur. l. A. III. & alibi.* Quorum quidem omnium ratio non tam a spirituum perturbatione, aut dissipatione, uti multis visum, sed aeque ac ab aliis solidioribus corporibus, a cranii & cerebri per impetum, & elaterem aeris vibratione & conqussatione, indeque tubulorum & pororum cerebri subsidentia, compressione, & distorsione dependere, judicamus,

Thef. IX.

Ex ejusmodi etiam laesione cerebri fluunt omnia symptomata & phaenomena, antea in percussis observata: Et quidem maxime *sensuum omnium & motus privatio, vel abolitio fit*, quando concussi, apoplecticorum instar, subito concidunt, obmutescunt, neque vident, neque audiunt, quoniam tubuli cerebri penitus collapsi, compressi, aut disrupti succo isto spirituofo, sensibus & motibus animalibus unice destinato, nullum amplius transitum ad nervos concedere possunt, sed eundem retinent, cohibent, aut extrorsum elabi permittunt. Non opus est, ut in quibusvis, gravissimis licet, & lethalibus commotionibus laceratio semper vasorum sangviferorum, & eruptio sangvinis jungantur, siquidem sola toni fibrarum destructio, & corruptio oeconomiam Cerebri totaliter turbare, & omnia ista pathemata inducere sufficiunt. Quo etiam Hippocrates respexit, qui l. c. solius substantiae Cerebri quassationi eventus tales attribuit, nulla Cranii fractura, aut vasorum sangvineorum ruptura, horumque fluidi rejectione habita, & exempla plurima apud Berengarium l. c. & alios comprobant. Quod si tamen ruptura talis vasorum sangviferorum, & sinuum insuper  
ac-



accesserit, omnino periculum compressionis, inflammationis, & sphacelationis augetur; si cætera quidem paria fuerint.

## Thes. X.

Ubi vero levior commotio facta fuerit, ibi quoque pathemata ista in remissiori gradu adsint, necesse est; indeque fit, quod alii subito, elapsa una, vel altera hora; alii intra aliquot demum dies ad functiones priores redeant, prout citius, vel tardius tubuli isti secretorii, sive per se, sive arte adjuti, tonum suum recuperare possunt. Hinc in aliis solum *surditatem*, in aliis *aphoniam*, vel *difficultatem loquendi*, *gustandi* & *olfaciendi*, *cacitatem*, *desipientiam*, *tremorem* &c. à commotione relictas, annotarunt Autores antea citati, quibus *confer. Blancard. Collect. Med. Phys. Cent. 4. obs. 28.* procul dubio, quod surculi radicales nervorum, ad has partes pertinentium, in illis magis commoti, & affecti fuerunt; quemadmodum in Juvenis istius, qui post lautam coenam, & vini potum immoderatum paralyti dextrilateris, cum occæcatione quoque oculi tantum dextri corripiebatur, capite aperto, potissimum dextrum corpus striatum, atque Thalamum opticum dextrum, ubi corpori striato inferitur, ab illuvie sanguinis serosi obsessum & compressum *Willis. Pathol. cereb. P. II. p. 301.* vidit.

## Thes. XI.

Sed præter hæc, etiam plura alia mala patiuntur ægri nostri, quando ex impedito, in Cerebro compresso, sanguinis circulo, aut eodem intra calvariam depleto, motus ejusdem plane inordinatus, retrogradus, & tumultuarius, consequenter *Tumor*, & *Inflammatiō Cerebri*, & *meningum*, imo *Abscessus* & *Sphacelatio* oriuntur. Dubium quidem aliquibus vide-

B 2

tur

tur, num cerebrum ipsum quoque inflammari queat? Verum qui novit, quod Cerebro suæ quoque arteriæ, & venæ, & quidem quoad corticalem substantiam, copiosissimæ competant, in iisdem quoque motum sanguinis progressivum impediri, intestinum tamen præter naturam augeri posse, nullus dubitabit; in quo autem rationes inflammationum consistere, notum est. Et hinc etiam fit, quod ubivis inflammatio, & imprimis in cerebro tenerrimo, & mollissimo, nisi mature sanguis impeditus in motum pristinum redigatur, necessario putredinem & corruptionem subeat; id est, suppurationem & sphacelum inducat: Cujusmodi etiam exitu & commotione in cerebro abscessus, & sphacelationes videantur apud *Harder. l. c. p. 134. Tulp. Obs. Med. l. IV. c. 1. Bartholin. c. 2. Histor. anatom. rar. XXXIV. Berengar. l. c.*

### Thef. XII.

Ex hoc inordinato, & corruptivo humorum in Cerebro motu non potest, quin tota Massa sanguinea in motus quoque præternaturales & febriles redigatur, indeque fit, quod Febris acutissima & intensissima eundem perpetuo comitetur. Huic ob tumultuarium & impetuosum spirituum motum accedit subinde *Delirium*, sub quo, vix uno loco quiete contineri valent, sed variis motibus se jectigant, manibus partes superiores invadunt, fascias, quibus deligatum erat caput, lacerant, crines evellunt, aliaque delirantium opera absurda committunt.

### Thef. XIII.

Eo ipso quoque, dum in tubulis cerebri compressis, aut distortis, transitus succi nervei, continuo tramite per eosdem fluere soliti, denegatur, non potest, quin vi subtilitatis, elasticitatisque suæ, nec non ob succum impulsu arteriolarum

rum a tergo sequentem, huc illuc discurrat, nunc versus hanc, nunc aliam cerebri partem magis laesam ruat, & nova sibi vestigia quaerit. Exhinc dependent *Convulsiones*, *Rigores* & *Contractiones* modò has, modò alias partes magis affligentes. Etiam *Vomitus* & *Urina suppressio* huic debetur, quando laesio nervos horum viscerum praeter ceteris attingit; Sed notabile valdè est, quod etiam experientiâ *Excell. Dn. Praesidis* partes corporis non tam percusso, quam sano cerebri lateri subjectæ ejusmodi convulsiones patiantur, non obscuro indicio, Cerebri fibras medullares, adeoque nervorum origines, diversos admodum tractus observare, se invicem decussatim quasi in progressu interfecare, variisque modis implicare, uti etiam ex eodem phaenomeno suspicatur accuratissimus *Bohnius Circul. Anatom. p. 332.*

#### Thef. XIV.

Atque ex his omnibus jam praecognitis variæ commotionum Differentiæ, à diversitate Causarum, Graduum & Symptomatum petendæ, dignosci poterunt: Imprimis observandum, quod alia commotio simplex, & per se talis detur, ubi tantum medullares cerebri tractus, seu tubuli secretorii percelluntur, comprimuntur, & conturbantur, etiam absque omni vasorum sangviferorum, meningum, aut cranii læsione; Alia verò cum eorum rupturâ, fracturâ, & vulnere, indeque sangvinis & feri eruptione; quarum utraque pro majori, minorive læsionis gradu, plus minus periculosa, imo lethalis esse potest; cum hæc tamen differentiâ, quod illa, si vehementior fuerit, derepente omnibus sensibus & motibus, imprimis loquelâ privet; Hæc verò, ubi major ruptura vasorum, quam subsidencia cerebri facta, non tam subito, sed tardius vim suam

exerat, postquam nempe sanguis elapsus in putredinem abit, & inflammationem, ac sphacelum cerebri inducit. Ita ratione loci specialis, alia commotio universum Cerebrum concutit, alia solum partem ejus, eamque anteriorem, vel posteriorem, mediam, dextram, vel sinistram, quæ tamen per se patent, & è circumstantiis manifestis facile colliguntur. Videndum igitur nobis potius, quid in ejusmodi læsionibus boni, malive sperare liceat.

### Thef. XV.

Fatendum quidem hic nobis cum *Kerkring. Spicileg. Anatom. L. XX.* non aliâ re magis deludi sæpius Medicos, quàm Capitis vulneribus & commotionibus, ita, ut quæ levia videantur, sint periculosissima, & quæ fatalia apparent, periculò prorsus careant: Neque id mirum, si quidem ex modo dictis constat, quod sub craniò, & capite prorsus illæsò, sæpe solum vascula quædam sangvifera, aut rorifera rumpantur, ex quò contusi non statim gravibus adeò pathematibus corripiuntur, sed plures aliquando dies mediocriter satis se habent, donec inflammatione, & putredine demum, post aliquot dies, imo septimanas, accedente, fatalis eventus ingruit. Cujusmodi exempla annotarunt *Horat. Augen. Consult. Med. t. 1. l. 9. ep. 2. Dodonæus Observ. Med. 1. Welsch. rational. vulner. lethal. judic. c. 14. Barthol. Act. Med. A. 1. Fabr. Hildan. C. V. obs. 83. & C. VI. obs. 11. Camerar. Memorabil. Med. c. X. obs. 43. Miscell. Med. Phys. A. II. & A. VI. & plures alii.* E contrario contusos cum gravissimis vulneribus, fracturis, & rupturis vasorum, imo cum ipsa Cerebri substantiæ deperditione, evasisse; rursus videre licet ap. *Hildan. C. 1. obs. 13. C. IV. obs. 1. seq. C. V. obs. 44. A. Paræum L. IV. C. 22. & L. 24.*

L. 24. c. 19. Fallop. de vulner. cap. cur. 45. Stalpart. van der Wiel L.  
1. obs. VII. in Miscellan. Med. Phys. German. D. III. A. III. Sc.

## Thes. XVI.

Nihilo tamen secius, ponderatis ritè omnibus circumstantiis, ab antecedentibus & concomitantibus petitis, non incerta prorsus præfagia, tam ratione salutis & mortis, quàm modi & temporis eventus fieri poterunt: Ita certè solæ concussiones & commotiones Cerebri, etiam absque fracturis & vulneribus, absolute & semper lethales sunt, per quarum vibrationes tota cerebri textura, aut potiores ejus partes, ubi scilicet radicales furculi nervorum præcipuorum sc. cordis, thoracis, diaphragmatis, & similium exeunt, adeo violenter quassantur, comprimuntur ac contorquentur, ut nullum prorsus succum ad organa æque vitalia, ac animale dimittere queant: quamque propterea lethalia symptomata, primis statim diebus, excipiunt: Sed multo magis periculosæ & lethales eadem commotiones erunt, quæ cum enormibus vulneribus, fracturis, & lacerationibus vasorum, & sinuum Cerebri conjunguntur, quibus simul sanguis vitalis cito elabatur, nullò prorsus modo coercendus, aut restituendus. Aut si solum sub calvariâ adhuc integrâ, & illæsa, in partibus interioribus cerebri, erumpens ferum & sanguis exitum invenire nequit, indeque non solum tramites nervorum comprimit, sed putrescendo quoque inflammationem, corruptionem & sphacelum cerebri, adeoque fatalem moriendi necessitatem infert. Etsi enim plurima exempla quoque reperiantur, ubi colluvies extravasati feri, vel ipsius sanguinis per aures, nares, aut arte apertam calvariâ, exitum sibi quæsit, ægrique ad sanitatem pristinam rediêre; tamen ea ruptura, & depletio vasorum, sæpius nullis etiam signis manifestis, nullis gravioribus, aut suspectis sympto-  
ma-

matris se primùm prodit; & licet probabiliter è circumstantiis colligatur; locus tamen aperiendi cranium nondum certò determinari potest; imò etiamsi apertio fiat, cruorem elapsum, ob situm profundum, vel concretionem ipsius non statim evocare, multò minus remedia sufficientia topica applicare licet. vid. *Bohn. de vulner. Lethal. p. 205. seq.*

## Thes. XVII.

Ex his fluunt jam fundamenta Præfagiorum Hippocratis, Galeni, & aliorum: Veritati certe respondet prædictio Hippocr. VII. aph. 14. Ex plagâ in caput stupor, aut delirium, malum, sc. si cætera fuerint paria, & consentiant: Attendendū enim e. gr. an fortè percussus ebrius, vel aliàs morbosus fuerit: Nam indè etiam aliquid apoplexiæ simile evenire potest, quod Medicos & Chirurgos decepit apud Henricum ab Heer Obs. XIX. putantes, attonitum esse ex lapsu, & trepanare instituentes, qui non, nisi ex ebrietate obdormiverat. Neque etiam absolutè lethale est, si ex ictu aliquis statim motu & sensu privetur, nisi alia graviora symptomata accedant, ut rectè monet Marchett. obs. chirurg. 15. si quidem sequenti die, imò post aliquot horas sæpius ad se redeunt: Sic omninò pessimè sperandum, ubi primis non solum, sed sequentibus diebus inflammatio, febris acuta, delirium ferox, convulsiones vehementes, aliaque pathemata graviora accedunt, quorum etiam ratio ex antecedentibus abundè jam patet.

## Thes. XVIII.

Sed melius sperare licet, ubi docente Hippocr. l. II. Proreth. Par. 22. neque sanguis ex ore, naribus, vel auribus erupit, neque gravis dolor, febris & inflammatio accessit. Exinde enim levior læsio, cæteris paribus, colligitur: Aut si etiam sanguinis eruptio fiat; modò apertio apta à vulnere, vel arte facta adsit, per quam  
fie-

ejusdem & feri, vel puris hinc generati, evocatio commodè fieri possit: Equidem hâc ratione plures quoque gravissimè commotos, liberatos fuisse, testantur observationes antea citatae, quibus, si placet, jungantur aliæ ap. *Wepfer. Exerc. de Apoplex. de Nobili Polono*, intra cujus cranium, & duram meningem non solum, sed & intra hanc & tenuem, quin imò in ipsam cerebri substantiam innoxie effusus, & feliciter eductus fuit; Et *Petr. Matth. Rossium consult. & observ. select. V. & VI.*

## Thes. XIX.

Quod verò tempus eventus hic attinet, idem hic rursus certò determinari nequit, nisi collatis simul omnibus circumstantiis, antecedentibus & concomitantibus. Aliàs quidem commune Practicorum pronunciatum: Febrim die quartò, aut septimò, aut undecimò cœpisse, lethale est: Item si quartò die febris orta est, ad undecimum; si septimò, ad decimum quartum, aut decimum septimum; si undecimò, ad vigesimum pereunt plerique omnes. vid. *Lodoc. Lommius Medicin. observ. L. II. p. 115.* Verùm incertam admodum prognosin istam esse, facile intelligit, qui ex antecedentibus nobiscum cognovit, quod læsiones capitis interiores, & sub calvariâ integrâ factæ, nullò sæpius signò manifestò, nullisq; primùm symptomatis suspectis se prodant, indeque per omnem sæpe prudentiam humanam adhibitam, vix ac ne vix cognosci possint; Et licet etiam probabiliter colligantur, nullâ tamen ratione ipsis remederi licet; uti funesti eventus à *Bohn. l. c. Pavv. de vulneribus Cap. p. 82. & 106. Paræo l. IX. c. 8. Fallop. de vulner. cap. 14. Tulp. l. 1. obs. 2. Scultet. Observ. Chirurg. 14.* aliisque annotati docent: Et *P. de Marchett. fol. 38. obs. 15.* multoties se vidisse refert nonnullos, etiam post tertium demum mensem ex commotione decessisse. Unde etiam *Marcellus Donatus l. 5. d. Med. Histor. mir. c. IV. fol. 561.* mirandum sane ait, Jure consultos quosdam, transf-

C

actò



actò quadragesimò sextò die, in capitis vulnere nullum amplius periculum subesse, statuisse, siqve post dictum tempus mori contigerit agrotantem, id nequaquam in vulnus rejiciendum esse, decrevisse, cum tamen innumeri casus testentur, caput vulneratos ad centesimum usqve diem periculò non esse exemptos; affertqve idem Marcellus Donatus ibidem exemplum quoddam contusionis capitis, à quà post centesimum & vigesimum tandem diem, patiens vivere desiit. Rectè igitur & graviter *Paulus Zacchias Quest. Med. Legal. L. V. Tit. 2. Quest. 9. p. 391.* hanc in rem monet; licet secundum communem opinionem, post XL. dies non dicatur quis ex vulnere quòpiam mori, ea tamen in vulneribus (adeoque etiam commotionibus) capitis locum non habent, quia etiam post centesimum, & ultra, hæc periculum afferunt, cujus ratio multiplex esse potest, &c. Paucis, læsiones Capitis & Cerebri interaneæ, non solum curabiles, sed etiam per se, & absolutè lethales, pro diversitate graduum, subjectorum aliarumqve circumstantiarum plurimarum, modò citius, modò tardius, ad salutem, vel mortem tendunt, quæ omnes Medicos, Chirurgosqve monent, in læsionibus Cerebri neminem extra periculum positum autumari debere, nisi elapsis aliquot hebdomatibus, imò mensibus.

## Thes. XX.

Tandem quoad modos eventuum observandum, quod ratione circumstantiarum antea notatarum rursus admodum variæ sint; Et quidem ad salutem, si vergunt, opus est, ut tubuli cerebri collapsi & distorti sensim robur & tonum recipiant, ab influxu succorum spirituosorum dilatentur, suòqve munere fungi assvescant; sanguis verò, vel serum, si quod simul extravasa elapsum, resolvatur, discutiat, & in circulum suum redeat, aut si hoc impossibile, per aperturas, sive casu, sive arte factas, eliminetur, ipsaqve vasa rursus per se, aut remediorum o-

pe-



pe consolidentur. Observatum quidem quoque fuit, ab ejusmodi ictibus Capitis gravioribus, absque omni fracturâ Cranii factis, serum, imò sangvinem, & pus cum euphoriâ per aures, nares, aliasque vias, minus aliàs manifestas, excretum fuisse. Sic *Cornel. Stalpart van der Wiel Obs. rar. P. I. obs. 15.* Annam Pauli in osse parietali sinistro, ligneo cylindro percussam, omnem statim sensum & motum perdidisse, vomuisse, sangvinisque non ita multum ex aure sinistra erupisse, cum levi saltem cutis laceratione, ast sine omni Calvariae fracturâ, quæ tamen post venæ sectionem, aliaque adhibita, ad se rediit, & convaluit, humore seroso ad duas circiter libras, per quatuor, aut quinque dies, cum euphoriâ fluente. Similem ferè Historiam *Langelottus ad Ephemer. Germ. Collectores D. I. A. VI. obs. 12.* retulit, de Principe quodam, Romæ è cochilidiò XIV. pedes longò, lapso & sinistro Capitis latere, ad inferiores gradus, tam validè concussò, ut semianimis, absque sensu, motu, & loquelâ, totum ferme diem jacuerat, qui tamen post venæ sectionem, paululum restitutus, tam immani & continuâ laborare cœpit cephalalgia, ut terebrandum caput decretum fuerit: sed quid fit; dum, omnibus paratis, trepanum admovere tentant, aqueus humor è Principis aure sinistra prodire incipit, tantumque liquoris effluit, ut octo libras appendere pondere suo valuisset. Pariter excretiones sangvinis & puris, etiam per alias vias occultas, legere licet apud eundem Stalpartum l. c. Obs. VII. Thom. Barthol. Obser. Rar. C. II. Histor. 41. Marcellum Donatum l. c. fol. 201. Wepferum p. 398. Tulpium obs. L. 1. c. 2. p. 4. qui posterior in observandis aliàs minutissimis circumstantiis accuratissimus exemplum refert, ubi innumerae sangvinis guttæ, per calvariam adhuc integram, saltem colore nonnihil mutatam, instar roris prodierunt, universam calvariam cooperientes; quibus etiam spongiâ aliquoties deterfis, repullularunt continuo alia, velut

monstraturæ, nihil in corpore nostro esse prorsus invium, sed omnia pervia; neque ossa ipsa tam solida, quin per ea etiam sanguis, & pus permeare queat. Quo etiam respicit *Hippocr. VI. Aphor. X.* Caput dolenti, inqueiens, pus, aut aqua, aut sanguis fluens per nares, aures, aut os, morbum solvit, & *Galenus in Lib. VII. Hippocr. Aph. 54.* confirmat: Hippocrates rectè, quando per ossa, etiam abscessus fieri dicit, arbitratur, naturam semper, si robusta sit, materiæ viam moliri, & invenire etiam si quàm maximè crassa sit, & per exiles transitura meatus. Nos autem adhuc addimus, quod excretionem tales fortè etiam ante extravasationem humorum, è vasis connexis foràs erumpant; aut etiam elapsi per fissuras, & meatus, concussione istà in naribus, auribus &c. factos, licet non statim sensibiles, exeant: quemadmodum illam transfudationem sanguinis apud *Tulpium*, è vasculis solum ipsius medullæ cranii apertis exiisse, admodum nobis probabile videretur.

### Thes. XXI.

Quando verò minus ritè solvuntur concussiones tales, tunc secundum supra observata, tremorem, stuporem, & paralylin quorundam partium, itèm aphoniam, surditatem, defectum odoris, saporis, & similia mala relinqvunt; aut accedente inflammatione, corruptione, & sphacelatione, inter sopores, deliria, & convulsiones pereunt: Ubi quidem ingens rursus diversitas observatur, siquidem in gravissimis etiam concussionibus symptomata interdum mitiora fiunt, modò sanguini exitus liberior concedatur; quemadmodum referente *Cl. Schellhammero in Ephemer. German. D. III. A. III.* foemina, cui à lapsu dimidium ossis frontis, totaque maxilla superior perfracta, os temporum, ad os usque petrosum, separatum, meninges ibidem & cerebrum ipsum laceratum, & foràs pertrusum erat, nec tamen adeò gravia symptomata, nullas convulsiones, nul-

lam

lam loquelæ abolitionem experiebatur, sed sensus & rationem integram semper servabat, donec quartô die placidè expiraret.

Thef. XXII.

Atque his adeò, quantum pro temporis, & scopi ratione licuit, breviter explicatis, nihil amplius restat, quàm ut medendi his læsionibus methodum ingrediamur, ubi ante omnia monemus, solius tantum commotionis, & quæ ab eâ immediatè oriri solent pathemata, curam nos habituros, sepositis intereà vulneribus, fracturis, & depressionibus cranii & cerebri, quæ quidem sæpius hic conjunguntur, curam tamen specialem sibi postulant. In illâ ergo seorsim, omnem intentionem, omnes vires eò dirigendas esse putamus, ut collapsis & contortis cerebri fibris, & tubulis suis tonus, suaque apertio reddatur, succi nervei, & reliquorum humorum transitus, & circulus promoveatur, ruptio & extravasatio sanguinis & seri impediatur, egressi verò humores citò discutiantur, aut, si discussio fieri nequit, digerantur & quòcunque modò evocentur, symptomatibus insuper prudenter resistatur & vires conserventur. Eaque omnia, quibus mediis impetrari possint, & debeant, nunc videbimus, & quidem primum è *Chirurgicò Fonte*

Thef. XXIII.

Venefectio magni momenti Præsidium est, non solum deplendo sanguinem, adeoque ab eruptione ejus intra cerebrum præservando, sed etiam impetum versus locum affectum moderando, eoque ipso inflammationi, feбри, aliisque ex his securis resistendo; Eaque in principiò statim instituta, & pro conditione ægri satis larga, aut etiam per vices repetita. Quà ritè succedente, *Arteriarum apertione* nihil opus esse judicamus, quas quidem alii præcipuè in Gallia, pone aures tundendas commendant. Quod si vero propter ætatem teneriorem, aliaque obstacula, illam adhibere non liceret, *Scarificationes* etiam vicem quodammodo supplebunt.

## Thes. XXIV.

Non minus quoque Vesicatoria officium suum hic faciunt, quatenus sero alias intra cerebrum decubituro viam exteriora & remotiora versus aperiunt, cervici sc, juxta aures, & brachiis applicata; Et Frictiones universales corporis discussionem quodammodo, poros cutis aperiendo, promovent.

## Thes. XXV.

Sed generosissimum adhuc remedium, Trepanationem nimirum, Chirurgia habet, quâ quidem tum solum opus est, quando colluvies seri, aut sanguinis, vel puris, sub calvariâ adhuc integrâ, certò præsumitur, nec ullibi alium exitum invenire posse, videtur. Quoniam verò supra monuimus, aliquando minus certò determinari posse, utrum, & quò cerebri locò, vasorum sub craniò ruptura facta, ubinam lateat, quæ effluxit materia, an ita comparata quæ evocari possit, & sic porro? ideoque non sine magnâ præmeditatione, etiam urgente necessitate, ad generosam, & aliàs terribilem operationem accedendum, ne præter necessitatem & usum, æger novis cruciatibus subjiciatur, aut fatalis alias eventus huic remedio infonti tribuatur. Quod si tamen ab omnibus circumstantiis satis certò judicatur, eadem omninò primis potissimum diebus, viribus ægri adhuc constantibus, antequam humores elapsi, aut cerebrum ipsum in corruptionem abeant, instituenda, & quidem loco, ubi ex conjecturis prudenter factis, læsionem præcipuam hæere judicamus, nec ulterior suturarum, meningum aut vasorum læsio fieri potest. De quibus conferantur *Horn. in Microtechnæ, Arcæus Chirurg. de Vulner. Cap. Marchett. l. c. A. Nuckius Experiment. Chirurg. & alii.*

## Thes. XXVI.

His omnibus nunc accedant quoque Remedia Pharmaceutica, & quidem Laxantia, & Abstergentia, ab initiò statim, & per

per omnem morbi decursum hic maximè proficua, imprimis sub formâ Clysterum adhibita, utpote quibus primæ viæ ab impuritatibus non solum liberantur, sed humoribus quoque exitus paratur, ne tantò impetu versus affectam partem ruere queant.

## Thes. XXVII.

lisdem subjunguntur statim *Resolventia & Discussientia*, quæ transitum sanguinis & feri, per vascula commota & conqussata, faciliorem reddunt, eoque ipsò à stagnatione, aut eruptione extra limites prævent, quò fine maxime inserviunt *Balsamica, Cina & Aca, amara & Aca*, e. gr. Lapid. 69, Percarum, Dens Equi Marini, Apri, C. C. philosoph. Ebor. f. Δ Succin. pt. Camphora, Myrrha, Sanguis Draconis, ⚗ diaphoret. Cinnab. ⚗, & nativ. Bezoardic. mineral. ⚗ial. ⚗le, flor. ⚗, Sperma Ceti, Sanguis Hirci pt. *Pulv.* ad Casum Augustan. Marchion. Cephal. D. Mich. vel D. Præsid. ⊖ vol Succin. C. C. viperar. *Essent.* Succin. Myrrh. Castor. Tinctura salut. Fuligin. Bals. Peruv. Croci, Hyperic. *Travmatic. Infusa & Decocta* è Rad. Angelicæ, Chinæ, Irid. Flor. Pœon. Polypod. Liqvir. Rhabarb. Rub. Tinctor. Nuc. Moschat. Sem. Fœnicul. Cumin. Ruthæ, Herb. Veronic. Heder. ⚗str. Hyssopi, Charefol. Scord. Beton. Centaurii, Ruthæ, Marrub. alb. Flor. Hyperic. Salv. & similibus.

## Thes. XXVIII.

Idem etiam præstabunt, & effectum internorum egregiè augebunt *Topica ejusmodi Resolventia: Unguenta* Dialth Nervin. de Cynogloss. *Olea cocta & infus.* Aneth. Chamæm. Rosarum, Ruthæ, Majoran, Hyperic. Nucist. express. *Stillatit.* Philosoph. Ruth. Succini, Mastich. Macis, Castor. ⚗ foetid. *Emplastra* Oxycroc. Diaphoret. Mynf. Capitale Ioann. de Vigo, *Sacculi in vinò cocti, & Cataplasmata* è Rad. Alth. Bryon. Pœon. Irid. fl. Cyper. Calam. Arom. Angelic. Bacc. Laur. Juniper. Sem. Fœnugrac. Lini, Nigell. Cumini, Herb. Malv. Beton. Majoran. Hyssop. Rut. Salv. Scord. Flor. Cham. comm. & roman. Sambuc. &c. quæ omnia, de rasis capillis, ab initiò statim, loco contuso, vel universo Capiti tepidè applicantur, & quamdiu visum fuerit, diligenter continuantur: cavendum modò, ne nimio calore, aut nimis volatilibus affluxus humorum magis concitetur.

## Thes. XXIX.

## Thes. XXIX.

Ita, si *Confortantibus* opus est, ea sint admodum temperata, ne impetum humorum augeant. Et si tamen Febris, Convulsiones, Lethargus, aliaque Symptomata superveniant, eorum cura ita dirigenda, ut semper Cerebrilæsi, & in eò, Inflammationis, aut humoris depleti respectus & cura præcipua habeatur.

## Thes. XXX.

Tandem quoad *Dietam* adhuc observandum, ut *Aer* hujusmodi ægris temperatus, & potius calidus eligatur, qui discussionem promovet, frigidus verò coagulat, condensat: Unde non incommodè in quâlibet inspectione, & deligatione, vasculum carbonibus repletum ad manus habetur, quò Lintea, Fasciæ, Linimenta & Sacculi calefiant; Sed cavendus rursus nimius calor. *Ex Alimentis* profunt tantum teneriora & temperatiora; nocent calidiora, nimis aromatica, acria, acida, salsa, saccharata, pingvia; imprimis quoque vinum, nisi fortè parcius, & condimenti locò adhibitum; Rectius verò condiuntur hinc cibi Nuc. Mosch. Flor. Macis, Crocò paucò, Chæresoliò, & similibus. Præ cæteris *Nucem Moschatam* Capite vulneratis apprimè conducere communis Practicorum consensus est, & hujus folius usu Magistrum Equitum inter milites Germanos globulis hostilibus multoties, percussum, & confossum, nullum grave symptoma, nec suppurationem quidem vulnerum expertum refert *Le Febur. Manual. Chim. P. II. p. 285.* Egregium quoque est Sperma Ceti frequenter jusculis additum. Ita *Motus* nimius impediatur, & potius *Quies* moderata imperetur. *Nec moderamem Affectuum* negligatur; imprimis iræ, quâ nimis quantum humores comoveantur, quod suò damnò & morte experiebatur Juvenis ap. *Camerarium Memorab. Medic. C. X. Obs. 23.* qui decimò quartò à læsione die ad iram provocatus, in Febrim, & Phrenesin incidit, & apertò Craniò, meningis undiqve inflammatas exhibuit. Ex eòdem fundamentò nocent quoque *Sternutationes*, nisi morbus in declinatione fuerit. Atque his omnibus ritè administratis, nullum dubium, quin Cerebrò commoti etiam præter expectationem sæpè convalescant, dummodo quod Caput curæ nostræ est, spes in Deum omnipotentem immota servetur, cui etiam pro concessis viribus æternas laudes decernimus.

S. D. G.

Q1 A 6560


ULB Halle 3  
001 853 198




sb.

1017









14.  
14

Q. D. B. V.  
DISSERTATIONEM INAUGURALEM  
MEDICO-CHIRURGICAM  
DE  
**CEREBRI COM-  
MOTIONE,**

Ex Indultu  
GRATIOSISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ  
IN ALMA LEUCOREA,  
SUB PRÆSIDIO  
*V I R I*  
NOBILISSIMI, AMPLISSIMI, EXCELLENTISSIMI  
AC EXPERIENTISSIMI  
DN. CHRISTIANI VATER,  
Philos. & Med. D. nec non Pathologiæ P. P.  
longe celeberrimi, Phys. Provinc. & Collegii German.

Curios. Collegæ meritissimi,  
*Dn. Patroni, Præceptoris, Hospitis & Promotoris  
sui atatem devenerandi,*  
**PRO LICENTIA**

SVM MOS IN ARTE SALUTARI HONORES ET PRI-  
VILEGIA DOCTORALIA RITE CAPESSENDI,  
*Ad D. III. AUGUST. A. M DC XCIX.*  
Horis ante & post meridiem s̄vetis,  
*Publico Philiatorum Examine exponet*

**JOH. CHRISTOPH. SCHULTZE,**  
Budiss. Lusat.

VITEMBERGÆ, Prelo CHRISTIANI KREVSIGII, Acad. Typogr.

